



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Io. Iac. Chiffletii De Linteis Sepulchralibus Christi
Servatoris Crisis Historica**

Chifflet, Jean-Jacques

Antverpiae, 1624

Cap. XXI. Alia Sindonis Allobrogicæ clariora miracula.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64456](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64456)

CAPVT XXI.

Alia Sindonis Allobrogica clariora miracula.

AB illo incendio, quo superiorum temporum votiuae tabulae, & anathemata deflagrarunt, memorabilia aliquot per adorandum Linteum accepta diuinitus beneficia feruntur. Primum illud quod carmine adumbravit Pinguinius: Puellam Camberianam N. Fusinam Guillielmi filiam, tantus inuaserat languor, ut stratis perpetuo affixa, ac trunco similis, vix aegra membra traheret: multis igitur in subsidium frustra vocatis numinibus, rogat denique parentes anno M.D.XXXIII. mense Maio, ut ad sanctae Sindonis Sacellum se deportari curent. Curant; ibi dum preces fundit, manus primum mouere incipit, tum assurgit in pedes, ac per seipsam graditur. In ipso loco percurata, actis Deo gratias, longam vitam exinde viuit. Atque huius, ni fallor, miraculi *μνημόσυνον* tabella in Sacello superest, iacentem in cubili puellam utcumque referens. Ab illa malum praesens depulsum, alius imminenti exitio subductus est. Ad Rumiliacum Sabaudiae oppidum, quaternis quinisque à Camberio leucis communibus distitum, geminos colles à vertice

com-

128 DE LINTEIS SEPVLCHR. CHRISTI
committit pons lapideus , quem torrens amnis
vulgò *Cherant* dubiis incrementis subterfluit: lon-
gitudò pontis passuum circiter quadraginta, alti-
tudo summa vrbicularum ædium tecta, adeoque
turres ipsas æquare dicitur; qui mensi sunt, affir-
mant, quò altissimus est, quinque & sexaginta
Geometricos pedes attolli. In eo ponte dum e-
quitat Rumiliacensis adolescens (Petro Burgun-
do nomen fuit) chirurgi filius, fortè in alium item
equitem incurrit: & nescio quibus intemperis
inter ferocientes equos oritur rixa, cum horrido
hinnitu; nec fræno sustineri potuerunt: incutitur
alter alteri; & Petrus cum equo, quo ferebatur, è
ponte præceps ruit. Vidit eminus periculum in-
felix pater, *O sancta Sindon*, ait, *filium meum*
serua. Iuuit dixisse, contrito equo contusoque,
adolescens illæsus ac sospes euasit. Hoc Aprili
mense anni M. D. XXXIV. & versu rem depinxit
Pingonius. Appensa in sancto Sacello tabu-
la beneficium testata est; & Petrus Burgundus
Camberium itare solitus, ibique se Seruatori
Christo clientem sistere, centenariò pænè par à
paucis annis extinctus fertur. Sunt qui à matre
pro filij salute in clamoribus Sindonem dicant,
quòd in tabellâ flexis genibus in extremo ponte
depicta sit: sed gratias agentis illa est imago, non
vouen-

vouentis; cùm Pingonius tunc viuens, & fama communis id patri ascribat. Verùm vt sit, seu pater votum concepit, siue mater, sacrosanctæ Sindonis ea virtus fuit, & Dei munus; qui si cui benignam manum supposuerit, næ ille *cùm ceciderit, non collidetur.*

Sacri Linteï vim affirmant ista in res corporeas; quod subiiciam, etiam in spirituales, adeoque in ipsos humani generis crudelissimos hostes. Incesserant mali genij viros aliquot, ac foedum in modum distorquebant. Igitur mense Maio anni M.D. xxxv. cùm Sindon de more spectanda populo proponeretur, adducti energumeni ferreis vincti catenis, horrendo vlulatu & inconditis clamoribus omnia complebant: mox vt in panno explicato diuini Sanguinis ac Vulnerum notas suspexere, *Deus en adest*, exclamant, *abimus.* Dictum, factum: erupere cum fulgore ac nebulis, stupente turbâ. Miseri illi sibi ac suis redditi, Dei beneficium agnouere. Hæc metro illigauit Pingonius, testis ipse oculatus: & fama est, sic persæpè cacodæmones, cùm propalàm Sindon ad Verneteum campum exhiberetur, è mortalium quæ inuaferant corporibus exturbatos.

Sed iam Sindonis dignitatem vel muti ipsi prædicent. Referam quod contigit in Pingonij villâ

R

Spi-

130 DE LINTEIS SEPVLCHR. CHRISTI
Spineteâ agri Taurinensis, quinto Kalendas No-
uembris, anno M.D.LXXVIII. aliquot hebdomadis à
Sindone Taurinum translata; de quâ translatione
dicendum inferiùs. Vtar verò Pingonij verbis ip-
sis eò libentiùs, quòd in domestico miraculo de-
scribendo diligentior fuit. *Dum scribendi finem
facio, stylum iterùm rei nouo miraculo adducor sume-
re, quod vidi, quod domi gestum est, quod tota nouit
vicinia. Id unum testor ego, nec subticere possum aut
debeo. Anno superiore mutum quemdam Philiberta
uxor in villâ Spineteâ nostrâ, agri Taurinensis, a len-
dum fouendumq; commiseratione ducta susceperat.
Is quinquennio antea ostiatim victum quaritabat,
nutu & articularum signis animi sensa, non voce ali-
quâ exprimere poterat, nisi quòd sicuti bruta ulula-
ret; lingua in globum contracta, mandenti etiam offi-
cium negabat, atque iniectis in os digitis, tritum den-
tibus cibum in fauces demittere cogebatur. Miseran-
dus certè adolescens, ceterùm ad operas non impiger,
frugi, fidus, amabilis, acri memoriâ, nec tar do ingenio,
& ad pietatem procliu. Quid accidit? Nuper cum
Dux Emmanuel monitos quoscumque per praconem,
ad urbis compita, tubis resonantibus voluisset, ut ad
spectandam Sindonem statis diebus pararentur, ieiu-
niorum, orationum, eleemosynarum beneficio, noxa-
rum denique expiatione: ipse quoque, (ut patremfa-
miliâs*

miliis decet) & uxor, domesticos ad idipsum sumus exhortati. Muto inprimis varia exempla adducta sunt, quibus loquendi facultas diuini Numinis uirtute (cuius certissima uestigia in Sindone refulgent.) est restituta: idq; superioribus annis, Burgunda uirgini nobilissima, Camberij in ipso Sindonis aspectu feliciter obtigisse adferebatur. Ille uero hæc secum ita agit, ut exactis aliquot post diebus, tandem summo mane, qui dies v. Kalendas Nouembr. septuagesimo octauo de uillâ redit, iam non mutus, mirantibus nobis fatur, & palam genibus inclinatus, gratias Deo agit, sanctamq; Christi Sindonem laudibus extollit, quam quinquies uidisse se, ad quinque Vulnerum Christo illatorum memoriam affirmat, & ieiunia quadam, quoad uixerit, Deo uouisse. Atque cum ieiunare cepisset, præcedente nocte, somno profundo excitatum, dissolutam sibi linguam, cum cruoris effusione, cruentum os ubi aquâ abluit, IESVM CHRISTVM exclamauisse, CHRISTIQUE SINDONEM, atque ita sospitem redditum fuisse. De singulis à nobis rogatus certiores nos facit, Baptistam se vocari, Chary oppido natum, patre Michaële, obscuro genere, matris nomen ignorare, & ijs iam diu orbatum, decimum octauum annum attingere, ut ex aspectu dignoscitur; sex abhinc annis non fuisse locutum, inuadente quodam morbo, siue magis cuiusdam malis artibus conti-

R 2

gerit:

132 DE LINTEIS SEPVLCHR. CHRISTI
gerit: linguam nunc explicatam profert, nulla nodi aut
cicatricis apparent vestigia, nec ad mansum ullis ultrà
opus est dactylis: & (ut paucis) quod prius apud ho-
mines desperatum fuerat, presens Dei maximi
summo munere, remedium adeptus fuisse cernitur.
Ab hoc tempore pauca omnino censentur mira-
cula, eaque potius in communi sermone, quam
in scriptis; quæ quia nec valdè illustria sunt, nec
fatis explorata, idcirco omittenda censui.

C A P V T X X I I .

*Quæ in loca Camberio deportata S. Sindon:
Taurinum denique ut venerit.*

SACRAM Sindonem Camberio exportatam
primùm lego anno M.D.III. ad paucos dies, vt
in Sebusianis Philippo Hispaniarum Regi spe-
ctanda præberetur: nec multò post à Claudiâ Du-
cissâ in arcem Billiacam ad triennium, nempe
ad annum vsque M.D.VI. Exinde à Carolo Duce
anno M.D.XXXV. in Subalpinos; apud quos se-
ptem & viginti annos seruata est: ac anno tan-
dem M.D.LXII. postliminiò reuerfa, sed ad sexde-
cim dumtaxat annos; quibus elapsis Augustam
Taurinorum inuecta est. Singula persequor. *Phi-
libertus quoque Secundus* (inquit Pingonius) *Phi-
lippa*